



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXVI. Pro vnione ambasiatorum regis Nauarrae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

que statuum dominorum suorum, reuerendissimus in Christo pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis legebat schedulam tenoris subsequens.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

*Decretum concessionis Olomucensis ecclesiæ in commendam.*

Sacrofancta Constantiensis Synodus concedit & committit custodiam, curam, regimen & administrationem ecclesiæ Olomucensis in spiritualibus & temporalibus in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ vacantis pro præsentis, & legitima administratione carentis per obitum bonæ memoriæ Venceslai patriarchæ Antiocheni, qui auctoritate apostolica quoad viueret, eam habebat in commendam, in fauorem fidei, & vt necessitati & utilitati ipsius ecclesiæ occurratur, venerabili fratri Ioanni episcopo Lutomussensi, vsque ad electionem futuri summi pontificis Romani, & expost ad tres menses immediate sequentes, mandans & committens venerabili fratri Ioanni episcopo Ostiensi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & vicecancellario, literas super hoc opportunas in forma debita & gratis de mandato expedire. Et post hæc de mandato Concilii prædicti fuit responsum per dominos ad hoc deputatos, videlicet reuerendos patres dominos Antonium episcopum Concordiensem pro Italica, Ioannem protonotarium de Trembleio pro Gallicana, Gundifaluum de sancta Maria pro Hispanica, Patricium episcopum Cortagensem pro Anglicana, Nicolaum episcopum Mersburgensem pro Germanica, nationibus, & Ioannem episcopum Ostiensem cardinalem Viuariensem nomine cardinalium, per verbum, Placet.

SESSIO XXVI.

*Pro vnione ambasiatorum regis Nauarræ.*

**D**IE Iouis vigesimaquarta mensis Decembris fuit sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi solenniter celebrata, in qua fuit facta vnio ad sacrum Constantiense Concilium nomine illustrissimi principis domini Caroli regis Nauarræ per suos solennes ambasiatores, videlicet Guiller mum Arnoldi Baionensem, & Nicolaum Aquensem, episcopos, Eximium \* Ayner canonicum & archidiaconum in ecclesia Pampilonensi, in sacra  
pagina



ANNO  
CHRISTI  
1416.

pagina magistrum, & Ioannem de Letoua legum doctorem. Fuit autem in hac vnione seruatus idem modus & ordo, qui in vnione oratorum regis Aragonum. Antequam vero supra nominati regis fieret dicta vnio & incorporatio, reuerendus pater dominus Franciscus episcopus Aretinus legit quamdam schedulam certorum ordinationis & decreti, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur talis.

*Decretum de non derogando iuri alicuius nationis  
de prioritate votorum.*

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, pro bono ecclesiasticæ vnionis, pacis & concordie nationum, ex certa scientia declarat, statuit, ordinat & decernit, quod saluis semper honoribus, locis, prærogatiuis & excellentiis secundum morem laudabilem & consuetudinem Romanæ ecclesiæ matris omnium Christi fidelium, ab antiquis debitis & consuetis regibus singulis & principibus orthodoxis, & eorum ambasiatoribus & nuntiis, tam in præsentia summi pontificis, quam alibi etiam in hoc præsentis, & aliis quibuscumque Conciliis generalibus, ratione ordinis in hoc sacro Concilio obseruati hætenus, vel in posterum obseruandi inter nationes, siue in respondendo, siue in scribendo, aut sigillando, vel alias per quascumque scripturas, sigillationes, protestationes, seu collationes, aut aliqua huiusmodi gesta ab ipsis, aut eorum præsentibus, communiter vel diuifim in ipso sacro Concilio, siue alias in congregationibus generalibus, siue specialibus, seu locis aliis quibuscumque & qualitercumque, nihil omnino excellentiæ seu præminentie, aut cuiuscumque alterius iuris, proprietatis aut possessionis, vel quasi alicui nationi per præmissa, vel aliquod eorum acquiratur, seu acquisitum sit, seu quouis modo accrescat, seu accreuisse censeatur circa prioritatem vel posterioritatem, aut alias circa præmissa, illaque prohibet in futurum ad præmissa, aut præmissorum aliquod quomodolibet allegari. Et insuper ex superabundanti cautela & ex certa scientia eadem sacrosancta Synodus omnia & singula, ex quibuscumque, qualitercumque, quomodocumque, & vbiicumque in præmissis habita, siue gesta aliqua, per quæ possit aliqua

*Concil. Tom. 29.*

XXX



prioritas vel posterioritas inter nationes easdem quomodolibet argui vel notari, omnino pro infectis habens, quantum ad effectum huiusmodi, nullius efficaciam, roboris vel momenti esse decernit, reseruans ipsis nationibus & cuilibet earum ante praesens Concilium Constantiense alias competentes & competentia, prouiso quod per praesentem ordinationem decretis, statutis, ordinationibus & constitutionibus in praedicta sancta Synodo Constantiensi editis & promulgatis, non intendit alias in aliquo derogare, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

## SESSIO XXVII.

*In causa Tridentinensi.*

**A**NNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, die vero Sabbati vigesima mensis Februarii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, praesidente in eadem reuerendissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi, sanctae Romanae ecclesiae cardinali & vicecancellario. Fuitque peractum officium Missae per reuerendissimum patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Et ipso officio Missae expleto, legebantur litaniam & aliam deuotam orationem more aliarum sessionum. His vero peractis, fuit accusata contumacia Friderici ducis Austriae, & aliorum in monitorio nominatorum, non curantium audire relationem fiendam per episcopos commissarios dictae Synodi super executionis valitudine. Et deinde reuerendus pater dominus Martinus episcopus Aprutinus, vnus ex commissariis in huiusmodi causa, legit quamdam relationis papyri schedulam tenoris infra scripti.

*Relatio facta per commissarios in causa Tridentinensi  
super executione monitorii.*

*Sacro sancta generalis Synodus Constantiensis.*

Deuoti commissarii nostri in causa ecclesiae Tridentinensis dudum per hanc sanctam Synodum deputati, vt se informarent simpliciter & de plano, ac sine figura ac strepitu iudicii, an monitorium alias per eandem sanctam Synodum